34489/P

[P]

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHLOROSI.

316708

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CHLOROSI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu*,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS HUNTER, ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 11 Junii, horâ locoque ſolitis.

216708

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

Viro amplissimo et spectatissimo,

WALTERO BLACKETT,

de WALLINGTON, Equiti Aurato,

In Conventu Publico inferiori

apud Britannos

Senatori integerrimo;

Artium, scientiarumque liberalium

fautori eximio;

Benevolentia, liberalitate,

caeterisque omnibus, quae hominem exornant,

virtutibus, praedito:

Nec non

Praestanti admodum Viro,

LANCELETO ALLGOOD,

de NUNWICK, Armigero;

Morum probitate,

mentisque indole ingenua et amica

perquam eximio,

Patronis suis magnopere colendis,

Hasce studiorum primitias

grato animo offert

THOMAS HUNTER.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30361667

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHLOROSI.

MISERA certe et inaequalis eſt ſors foeminarum, quae, quamvis Natura ad humanum genus conſervandum deſtinatae, variis tamen dirisque morbis obnoxiae vivunt. Utcunque enim vitam inſtituunt, paucae admodum ſunt, quae ſanitate fruuntur perfecta et a dolore immuni: ſi enim matrimonii jugum ſubeunt, ex hoc etiam voluptatum fonte aliquid amari ſaepe oritur, et faſtidia, vel alia mala graviora praegnantes comitantur: ſi voto ſeſe obſtringunt, nuptiarum expertes permanſuras, ea ipſa de cauſa, quod dolores parturiendi nunquam ſenſerunt, quantumvis cautae fuerint, alium aliquem mor-

bum evitare non poterunt. Id enim, ut Hippocrates * olim obſervavit, in foeminis ſanguinis ſupplimentum, quod prolis nutritioni inſervit, ſi aut intus continetur, aut nimia copia evacuatur, mille morborum origo eſt, inter quos Chloroſis locum tenet.

Morbus hic, ut multi alii, diverſa obtinet apud diverſos auctores nomina. Ab Hippocrate appellatur χλορόσις, a χλωρὸς *viridis*; ab Etmullero, aliiſque, *Color pallidus virginum*, et *Icteritia alba*, quod faciei puellarum eo laborantium pallidus lividusque color ineſt. Appellatur et *Febris alba*, quod pulſus iis plerumque citus eſt; *Febris amatoria*, quod, ut obſervat Lindanus, virgines illae nihil magis exoptant quam uxores fieri: necnon et *morbus virgineus* nominatur, quod virgines et innuptae in eum ſaepiſſime incidunt.

Chlorosis eſt morbidus quidam pallor, aut viridis color externarum corporis partium, praeſertim teneriorum, ut faciei, &c. quae puellas plerumque circiter decimum quartum,

* Hippocrat. aphor. § v. aph. 57.

quartum, aut decimum quintum aetatis annum, menſesque nondum expertas adgreditur, aliasque etiam quae eos jam expertae ſunt, ſi quo caſu eorum fluxus parcior ſit, aut penitus ſupprimatur: atque exinde patet, innuptas etiam eo corripi poſſe. Foeminae quoque in utero geſtantes morbum hunc aliqua ex parte per primos graviditatis menſes patiuntur; quia ſuperflui ſanguinis egreſſus, ore uteri hoc tempore clauſo, impeditur. Morbus hic nonnunquam puellas octo aut novem annos natas occupat; cujus exemplum profert BORELLUS *; ſed hoc quidem raro accidit. Hic morbus, ut cenſet HOFFMANNUS †, cachexiae omnimodo ſimilis eſt, niſi quod, cum virgines invadit, Chloroſis appelletur: ait enim ille, quem in genere cachexiam dicunt morbum, is in virginibus, quae nondum menſes expertae ſunt, aut ſi ipſi inordinati et parciores fluunt, Chloroſis denominatur, itemque morbus virgineus, et febris alba; nihilque aliud quam cachexiae ſpecies eſt, iiſdem, quibus cachexia, ſignis ſeſe prodens. ET-

MULLERUS

* Cap. iv. obſerv. 64.

† HOFFMAN. vol. 2. cap. xiii. § 5.

MULLERUS * autem dicit, omnes auctores morbum hunc injuriâ facere eundem ac cachexiam mulierum, quae nihil ſibi proprium habet, quandoquidem non ſolum foeminae cachecticae, ſed homines etiam nonnunquam decolores et pallidi evadunt: praeterea, cachexia quae mulieres per omnes vitae gradus occupat, eſt menſium ſuppreſſionis plerumque cauſa, dum Chloroſis menſium ſuppreſſorum fere ſemper effectus eſt.

MORBUS hic ex prava diaeta, immaturis fructibus, &c. ſaepe ortum ducit. HOFFMANNUS ait, puellas in eum ſaepe incidere, panem ex ſiligine vel tritico factum, dum menſes patiuntur, comedendo. Hiſtoriam † tradit generoſae cujuſdam puellae octodecim annos natae, quae eo corripiebatur, panem butyraceum calidum, lacque frigidum, adſumendo, dum menſes profluebant. Naſcitur quoque ex acidorum liquorum potatione, praecipue aceti, quod puellae ſaepiſſime bibunt, ut ſe graciles reddant; ut et ex calidis et aquoſis liquoribus magna

* ETMULLER. opera, cap. iii. p. 566.

† HOFFMANN. vol. 2. obſerv. vi. cap. xiii.

magna copia ſumptis, quales ſunt *Thea, Coffee*, aliique hujuſmodi; vita nimis ſedentaria; exercitio immoderato; vigilia intempeſtiva; nimio ſomno; excretionibus variis ſuppreſſis; variis animi pathematibus, ex quibus coctiones ordinariae plurimum evertuntur; triſtitia; terrore; iracundia; amore; denique ex aliis omnibus quaecunque ſolida debilitant, fluida diſſolvunt, et languidiorem humorum circuitum producunt, ex quibus lentor, vel indoles plus ſolito viſcida aut mucoſa, in quibuſdam fluidorum partibus oritur, quae hujus et multorum aliorum morborum origo eſt: ſed praecipua hujus morbi cauſa eſt naturae conamen ad ſalutarem illam evacuationem promovendam, foemellis, poſtquam ad puberem pervenêre aetatem, omnino neceſſariam; ſi enim cor vaſa uterina dilatare hoc tempore nequeat, aut ſi vaſa iſta adeo contracta vel rigida ſint, ut naturae conatus impediantur, ſanguinem in iis ſtagnare neceſſe eſt, et ut nonnihil ſanguinis obſtructi, qui circuitum cum communi maſſa peragit, perpetuo abſorbetur, partes quaſdem ſibi ipſi aſſimilat; ita ut tandem tota maſſa viſ-

cidâ

cidâ iſta et inerti indole inficiatur. Praeterea, totum ſyſtema vaſculoſum nunc nimis turgidum factum, et propter obſtructam evacuationem, et circuitus in vaſis uterinis defectum, tonum ſenſim amittit, donec tota ſolida laxiora, et exinde fluida denſa minus et compacta fiant, aut in aquoſiorem naturam degenerant. Hoc clare patebit cuivis inſpicienti internos oculorum angulos eorum qui hoc morbo laborant, ut obſervat VAN SWIETEN *; ait enim, in omnibus illis locis ubi cutis abeſt, ſanguinis colorem, per vaſa tenerrima tranſlucentem, obſervare poſſumus; uti in lingua, gingivis, ore interno, naſo, oculorum angulis, adnata palpebrarum interiore ſuperficie, &c; quando ergo in his locis omnia pallida, tunc novimus viſcidum in ſanguine non eſſe inflammatoriae naturae, ſed lentae pituitoſae indolis. Ubi enim inflammatoria ſanguinis tenacitas adeſt, omnia rubent, calent: ubi lenta pituita praedominatur, pallor et frigus adſunt.

CUM primum puellae hoc morbo corripiuntur,

* VAN SWIETEN Comment. in aph. BOER. § 72.

ripiuntur, de dolore, et onere quodam lumbos opprimente, una cum laſſitudine totum corpus occupante, queruntur, adeo ut exercitium prorſus omittant, et vix unquam ire foras perſuaderi poſſint; deinde appetitus eorum proſtratus devenit, et inflatione ventriculi occupantur, una cum flatibus et aëre in viſceribus murmurante; quo tempore ſenſim palleſcunt, aut viridis, plumbeus, luteusve color per ora diffunditur; facies mane poſt ſomnum turgida eſt; tumorque praecipue apparet circa palpebras, quae haud raro circulo caeruleo vel rubro circumdantur; exercitio quantumvis parvo fatigantur. Si morbus diuturnus fuerit, crura aliaeque extremorum inferiorum partes ſub noctem turgent, tactui facile cedunt, et foveam a compreſſione relinquunt; hi autem tumores magna ex parte mane evaneſcunt; quoties ſeſe movent, aegerrime reſpirant, praeſertim autem cum locum aliquem arduum aut ſcalas aſcendunt; hoc tempore cordis palpitationes ſentiunt; omnia ciborum genera faſtidiunt, ſed magna voluptate cretam, calcem, lanam, carbones, arenam et ſimilia interdum devorant; de

inflatione et diſtentione hypochondrii, pedum frigiditate, capitiſque doloribus queruntur. SYDENHAMUS *, in diſſertatione de affectibus hyſtericis, obſervat eas clavo hyſterico obnoxias eſſe, qui nonnunquam, ut inquit, exteriorem capitis partem occupat, pericranium inter craniumque dolorem vix tolerabilem adferens, in quadem tantum particula, quae tranſverſo pollice contegi poſſit, jugiter defixum: dolorem hunc etiam comitantur vomitiones enormes. Haec ſpecies clavus hyſtericus mihi eſt, iſtas prae caeteris fatigans quae Chloroſi laborant: ex pavore aliquo, vel minima etiam de cauſa, in animi deliquia incidunt.

PULSUS, ut plurimum, parvus, celer et frequens; ſomnus gravis et altus eſt; ſecretiones omnes, et excretiones a lege naturali declinant; ſaliva viſcidior et bilis inertior fit; urina plerumque pallida et inodora eſt, et nonnunquam magna copia reddita, clara aeque ac aqua fontana; alvus perſaepe tarda; perſpiratio vix ulla; ventriculus tandem adeo debilitatur, ut vix ullum

* SYDENHAM. opera, p. 389.

ullum alimentum digerere poſſit, poſt cibum ſumptum, fere ſemper male ſe habent; neque ex eo nutritur corpus, adeo ut morbo aliquo chronico vel diuturniore haud raro implicentur, priuſquam e vita diſcedant; menſes plerumque obſtruuntur, qui tamen nonnunquam nimia copia, interdum vero ſatis regulares, ſed parciores, fluunt.

Dolor, et velut onus quoddam lumbos opprimens, ac univerſa laſſitudo.

Dolor, &c. circa lumbos, ſanguinis in uterinis, aliiſque vicinis vaſis accumulationi, adſcribenda ſunt; huic etiam attribui poteſt univerſa illa laſſitudo; viſciditas autem ſanguinis, qua ſecretioni ſpirituum animalium ineptus redditur, alia ejus cauſa ſtatui poteſt.

Appetitus proſtratus. Hic ab exercitii defectu magna ex parte oritur: praeterea, ſenſus famis nonnihil nimia pituitoſorum humorum in ventriculo ſecretione minuitur, quod iis aegris fere ſemper accidit: ſi qui enim viſcidi humores in corpore ſint, hic ut plurimum ſecernuntur. Inflatio ventriculi una cum flatibus, &c. Haec ex eo oriun-

tur, quod ventriculus et viſcera adeo debilitantur, ut ingeſta expellere nequeant, ea autem nimis diu retinent, unde aërem generant, qui una cum ſpaſmis omnia haec ſymptomata producet. Palleſcunt, &c. Omnibus notum eſt, chylum eſſe album, et colorem, ut obſervat LOWERUS *, diu retinere, poſtquam cum ſanguine commiſcetur, etiam in ſtatu ſano, donec iterato circuitu et repetitis ſolidorum ictibus, in ſanguinem rubrum commutetur. Itaque in hiſce aegris quorum ſanguificationis organa adeo debilia ſunt, ut earum qui hoc morbo laborant, non mirum eſt chylum album ſuum colorem multo diutius retinere, eaſque pallidas devenire : imo VAN SWIETEN † obſervat eum in ſanguinem rubrum nunquam converti : ait enim, dum debilis languida chloroſi torpet puella, ingerit nutrimenta quidem, ſed non inde perficit bonum ſanguinem, ſed lac quaſi tantum ; unde tota pallet, imo imprudenter ſecta vena in tali caſu vidi ſanguinem exiviſſe album : ſi in his vires paulo plus valent, plus mutantur ingeſta,

* LOWER. de corde, p. 238.

† VAN SWIETEN Comment. in aph. BOER. § 25.

ingeſta, non tamen perficiuntur integre, tunc oritur color flaveſcens, virideſcens: deficit enim in his ſolidarum partium actio in fluida, tument, implentur crudis, ſed non fit bona nutritio.

Mane tument facies, &c. Horrizontalis in lecto poſitio ſanguinis ex capite reditui magis reſiſtit, quam cum quis ſedet aut ſtat: hac reſiſtentia in tam laxo et aquoſo corporis habitu, majorem ſecretionem in celluloſas faciei membranas impellente, praeſertim autem palpebrarum, propter earum laxiorem texturam, ac quod per ſomnum minime moventur, unde fit ut partes illae matutino tempore tumeant; circuli caerulei ex ſanguine in venis ſub palpebris, qui nunc magis conſpicuus evadit, cauſa pallidi coloris vicinarum partium, oriuntur. Minimo exercitio fatigantur. Hoc ex viribus imminutis provenire patet. Crura & extremitates inferiores ſub noctem tument. Cauſa hujus plane patet ex eo quod de facie mane tumente jam dictum eſt. Reſpirandi difficultas ex loci cujusvis ardui aſcenſu. Hoc partim provenit ex ſanguinis viſciditate,

unde

unde difficilius per pulmonum vaſcula tranſit; partim ex pulmonibus nimis ſanguine repletis, quem muſculorum actio, pleniore rivo, ad cor impellit, quam debiles pulmones eum tranſmittere poſſunt, niſi ſolito celerius agunt: exinde etiam oriuntur forte cordis palpitationes. Omnia ciborum genera faſtidiunt, ſed cretam, &c. cum voluptate devorant. Hoc ciborum faſtidium naſcitur ex vitiato humorum gaſtricorum ſtatu. Cretae devoratio ex naturae inſtinctu provenire videtur, ut acidi illi et mucoſi humores, qui nunc in ventriculo ſunt, abſorbeantur. Hypochondrii diſtenſio, pedum frigiditas, capitis dolor. Hypochondrii diſtenſio oriri poteſt ex nimia vaſorum, lienis, et jecoris repletione; ſed ſaepius nulli alii cauſae attribuenda eſt, quam aëris in ventriculo rarefactioni. Pedum frigiditas languido ſanguinis circuitui in vaſis minimis adſcribenda eſt. Dolor capitis forte ex nimia teneriorum vaſorum durae matris, vel cerebri, ſanguine diſtenſione proficiſcitur. In animi deliquia facile incidunt. Quandoquidem puellarum hoc morbo laborantium nervi ut plurimum debiles ſunt, haud mirum,

rum eſt, illos facile affici his quae aliis temporibus eos minime moverent, adeo ut haud raro in animi deliquia pavore aliquo perculſae incidant. Pulſus parvus, celer et frequens. Pulſus parvus ex eo provenit, quod fortaſſe hoc tempore ſpiritus animales minore copia ad cor demittuntur, unde debilior eſt ejus contractio; aut quod ſtimulus, quo cor ad contractionem excitatur, minor eſt, lenis nimirum ſanguinis irritatio in cor irruentis. Pulſus plerumque celer et frequens. Hoc cordis debilitate attribui poteſt, quod cum ſatis fortiter ſeſe contrahere nequeat ad fluida circumagendum, neceſſe eſt conatus ſuos, qui quamvis debiles, tamen frequentes ſunt, ſaepius repetat. Somnus gravis eſt ac altus. Hoc aut ex vaſis ſanguine inerti nimis diſtenſis, eoque cerebrum leniter comprimentibus, quod ſomnum adducet; aut ex gravitate et inertia ſpirituum animalium provenit. Saliva viſcida eſt. Saliva in ſtatu naturali ſemper paululum eſt viſcida, at in hoc morbo paulo viſcidior, quia ſanguini ineſt plus ſolito hujus indolis; ideoque haud mirum eſt, ſalivam ejuſdem indolis participem eſſe, qualis enim eſt fons,

talis

talis eſt rivus. Bilis inertior eſt. Quandoquidem hic omnes ſecretiones a lege naturali declinant, aequum eſt expectare bilem aliquam mutationem ſubituram; praeterea poteſtne acidum, cujus in ventriculo et viſceribus harum aegrarum, tanta copia eſt, eam quoque inertiorem reddere? Urina pallida, &c. Ex fluidis aquoſis pallida, tenuis, crudaque urina redditur; veriſimillimum quoque eſt pallidam hanc urinam aliquando oriri poſſe ex ſpaſmis, qui vaſa renalia adeo conſtringunt, ut tenuiores tantum ac ſubtiliores ſanguinis partes tranſmittere poſſint: cur autem nonnunquam majore copia reddatur, curioſus ille rerum indagator, Doctor Whytt * rationem optimam reddit; quia, ſcilicet, vaſa ſecernentia ex majore ſtimulo, in oſcillationes magis frequentes et inordinatas deducuntur, unde major fluidorum copia dato temporis ſpatio ad renes allicitur. Alvus plerumque tarda. Paululum cibi quo veſcuntur aegrae iſtae faeces haud multas relinquit, quibus paululum tantum acrimoniae ineſt; praeterea, viſcera nunc nec ſatis virium in ſe habent, nec ſtimulum ſatis acrem

* Eſſay on the vital and involuntary motions, ſect. 6.

acrem ad contenta ſua expellenda, quia bilis, quae ad motum vermicularem promovendum, faeceſque expellendas maxime conducit, hoc tempore iners eſt. Perſpiratio vix ulla. Hoc aquoſis ſanguinis partibus per renes maxima ex parte exoneratis, aut vi vitae nunc adeo debili ut fluida in extrema vaſa capillaria cutis propellere nequeat, adſcribi poteſt. Ventriculus adeo debilitatur, &c. Quo diuturnior eſt hic morbus, eo debilior ventriculus reddetur; eaque debilitas cauſa eſſe videtur ob quam aegrae iſtae, poſt cibum ſumptum, male ſe habeant: et ut ſaliva, ſuccus gaſtricus, aliaque ad cibum rite digerendum, et ad chylum praeparandum nutritioni aptum, perquam neceſſaria hoc tempore multum vitiantur; haud mirum eſt aegras haſce minime nutriri, et in morbum aliquem chronicum ante obitum incidere. Menſes plerumque obſtructi. Omnes diverſas menſium obſtructionis cauſas enumerare nimis longum eſſet; ſatis igitur erit obſervare, hanc obſtructionem ut plurimum, aut ex nimia rigiditate et conſtrictione vaſorum uterinorum, aut ex viſ-

cidia

cidia et inerti ſanguinis indole, aut nimia ſolidorum debilitate et laxitate proficiſci.

Prognosis hujus morbi admodum ambigua eſt, eamque variare conſtat prout ſymptomata eum comitantia magis minuſve periculoſa ſunt: affirmare autem licet malum hoc, quamvis parum periculoſum ſit, et ex ſe perraro lethale, ſaepiſſime autem pertinax eſſe ac difficillimum curatu.

Si morbus hic primo neglectus, eoque in corporis habitu radicatus, diuturnior fuerit; aeger ad morbum aliquem chronicum proclivior erit, nimirum ſchirrum viſcerum abdominalium, uteri, ovarii, &c. hydropem, febrem lentam, hecticam, et phthiſin.

Riverius * affirmat, foeminas, quae hoc morbo diu laborarunt, aut ſteriles evadere, aut prolem morboſam, debilem ac parum vitalem edere.

Virgines quae menſes nunquam expertae ſunt, propter rigiditatem et conſtrictionem

* Riverius praxeos medicae, lib. xiv.

nem vaſorum, haud facile curantur: quae autem antea menſes paſſae ſunt certis periodis facilius liberantur, quod vaſa uterina citius dilatantur.

Si chloroſis durat, dum menſes ſtatis temporibus profluunt, hoc quidem magnae debilitatis ſignum eſt, attamen de aegrae vita minime deſperandum; propterea quod a frequentiſſima hujus morbi cauſa immunis eſt, quam minime omnium removere poſſumus.

Indicationes curatoriae hujus morbi praecipue tres ſunt.

Prima eſt, primas vias expurgare, pravam fluidorum indolem corrigere, ac ſolida corroborare.

Secunda, fluxum menſtruum promovere, ſi aut parcior, aut omnino obſtructus.

Tertia, morbi reditum, quantum poteſt, impedire.

Unicuique diverſas hujus morbi cauſas animo perpendenti apparebit, unam ean-

demque curandi methodum ei non ſemper convenire ; itaque, ut primum ſcopum attingamus, aegrae ſtatus eſt ſumma cura ac diligentia conſiderandus : ſi enim chloroſis ex obſtructione proficiſcitur, aegra plerumque plethora laborat ; itaque, niſi vires nimis imminutae fuerint, venaeſectio morbi initio multum prodeſt, ut et pediluvium, vel ſuffimenta, et vapores aquae calidae ad uterum per tritorium vel tubulos uterinos derivati, et lenis alicujus ac ſtimulantis cathartici adminiſtratio, qualia ſunt tinctura ſacra et rhei amara, et, ſi opus ſit, emeticum hoc tempore adhibere poteſt. Venaeſectio plethoram minuit, pediluvium et aquae calidae vapores vaſa laxant, catharticum vero mucum e primis viis, ubi nimis nunc abundat, expellit, ſimulque vaſa ſtimulat ; hoc pacto ſanguis liberius circuitum peragit, vaſa majori vi ſeſe contrahunt, et obſtructio ſaepe removetur. Methodus haec, ſi per ſe parum procedat, hoc ſaltem commodi habebit, quod liberiorem aliis medicamentis operationem praebebit.

Si

Si ſanguis denſis ac viſcidis abundat humoribus, medicamenta quae viſciditates haſce attenuant ac diſſolvunt exhibenda ſunt, quaeque eodem tempore ſolida fortiter ſtimulant ac corroborant, ut majori vi agant in contenta ſua: nihil enim aeque cito diſſolvit ſanguinis viſciditatem ac iterata in eum vaſorum actio. Pulchrum habetur apud Leeuwenhoekium* obſervatum, quod demonſtrat efficaciam reciproci illius vaſorum motus in diſſolvendo ſanguine concreto. In veſpertilione fame et frigore languenti, dein parum refecto, obſervavit microſcopiis tenuem illam membranam, qua expanſa hoc animal alarum inſtar utitur; nullam obſervavit motum, nec in arteriis nec in venis; ſed poſt ſex horas elapſas, reviviſcente magis animali, vidit particulam ſanguinis concreti oblongam, totum arteriae cavum implentem, protrudi per arteriam, mox retropelli; dein protrudi iterum, ſicque ire et redire hanc viam; donec tandem hoc attritu reſoluta maſſula per ultimas arteriae anguſtias tranſiret in venam. Doſis rhabarbari cum paucis granis calomel. infuſa amara cum rad. calam. aramat. gentian.

* Experiment. & contemplationes. p. 205.

gentian. &c. pilulae gummoſae attenuantes, quales ſunt eae quae ex aloë, ammoniaco, galbano, &c. componuntur; pilul. ecphract. chal. Phar. Edin. ut et mars ſaccharat. hunc effectum edere perquam apta ſunt, praeſertim ſi aegra exercitio et diaeta propria utatur.

Si ſanguis tenuis et aquoſus eſt, corroborantia, qualia ſunt cortex Peruvianus, &c. nutriens incraſſanſque diaeta, unà cum equitatione, aliiſque exercitiis, haud parum conducunt.

Si morbus ex debili et laxo corporis habitu, abſque ulla obſtructione, proficiſcitur, venaeſectio, pediluvium, et purgantia contraindicantur, niſi fortaſſe lenis et corroborans doſis rhabarbari, et ſimilia ſupra memorata conducere poſſunt, praeſertim poſt emeticum ſumptum: haec enim ex primis viis expellunt limoſum illum mucum, qui non ſolum cauſa eſt appetitûs proſtrati, ſed etiam operationem impedit medicamentorum corroborantium, quae ſtatim exhiberi debent, priuſquam mucus in primis viis de

integro

integro colligatur, alioqui eadem medicamenta ſupra memorata ſatis conveniunt. Emeticum aegrae hoc tempore adminiſtrandum, ſit vitrioli albi ſcrup. i. vel drach. ſs. bibatque interim infuſum cardui benedicti.

Si pedes et crura multum tument, et frigent, ea calefacere debemus faſciiſque arcte circumligare; frictio hic etiam multum prodeſſe poteſt, quippe quae ſanguinis circuitum accelerat, liberioremque reddit, ac ſolida corroborat.

Ad ſecundam indicationem nunc progrediamur, quaeque ad hujus morbi curationem omnium maxime confert, menſtruum ſcilicet fluxum promovere: omnia haec medicamenta quae ſolida corroborant, fluida attenuant, et peculiari ratione in uterum agunt, qualia ſunt, aloë, chalybs ejuſque praeparationes, cort. Peruvianus, omniaque ſtimulantia aromatica et amara, huic fini inſerviunt. Ait Mead *, helleborum nigrum potentiſſimum eſſe emenagogum, idque

* Medical precepts, p. 282.

que ſpem ſuam nunquam fruſtratum eſſe. Hoc modo praeſcribit; nempe parvum cochleare tincturae plenum in aqua calida bis die. Obſervat etiam, quandocunque medicamentum hoc parum proceſſit, aut ex mala partium conformatione, aut alia quacunque cauſa, ſanguinem ex aliis emiſſariis expulſum eſſe.

Aetius *, poſtquam multa praeſcripſit remedia, ait, quin et peſſis utendum, ſed non valentioribus ex elater. canthar. cyclam. felle bubulo, veratro; periculum enim eſt ne ex ejuſmodi medicamentorum vehementia, inflammationes, ulcera, et febres exoriantur. Peſſi lenes et ſtimulantes hiſce aegris prodeſſe poſſunt, quippe qui majorem fluidorum fluxum in uterum, ſtimulo ſuo alliciunt: puellae autem praeſertim verecundiores tali remedio ſubmittere nolunt: eaque humorum in uterum allectatio, cauſa eſſe videtur ob quam Riverius cauſtica applicare jubet tibiis earum quae contumaciſſimis ac diuturnioribus obſtructionibus obnoxiae ſunt. Efficaciſ-

ſimum

* Aetius, cap. 54. lib. ult.

ſimum autem omnium remediorum, quodque fere omnes auctores ſaepius profuiſſe dicunt, poſtquam omnia alia fruſtra tentata ſunt, eſt congreſſus cum ſano juvene. Riverius * affirmat, ſe ſaepe vidiſſe bonos hujus remedii effectus; Hoffmannus † huic quoque magnopere confidit, ac matrimonium commendat ceu ſummum in hoc caſu remedium.

Priusquam ulterius progrediamur, haud abs re erit obſervare cum doctiſſimo illo Medico J. Rutherfoord praxeos medicae in hac academia Profeſſori, ſtimulantia illa, emenagoga appellata, non exhiberi debere, antequam corpus bonis humoribus repletum fuerit, ita ut plethoricum evadat: ſi enim medicamenta ſtimulantia adhibueris antequam vaſa repleas, fluxum tantum unius vel duarum ſanguinis unciarum excitabis, qui ab aniculis lingua Vernacula, vocatur *a Shewing*; quare ſaepiſſime, praeſertim cum adeſt vaſorum depletio, lac aſininum, diaeta levis et nutriens, ac moderatum exercitium, optima remedia ſunt.

Cum

* Praxeos medicae, lib. xiv. p. 248.

† Cap. xiii. p. 316. v. 2.

Cum primum menſes apparent, aegra magnopere cavere debet, ne ſeſe aëris inclementiae exponendo frigus contrahat: ſi illi parca copia fluunt et ceſſaturi videntur, quadraginta vel quinquaginta guttas tincturae croci ſumere licet; clyſmata ex aqua calida, in inteſtinum rectum hoc tempore injecta, interdum haud parum conducunt.

Medicamenta ſupra memorata, videlicet chalybs, cortex, &c. multum proſunt ad moderandum menſium fluxui, cum nimis copioſi ſunt; quia immoderatus eorum fluxus, ex debilitate et diſſoluta ſanguinis craſi plerumque provenit: balneum frigidum hic perquam utile etiam fieri poteſt.

Ad ultimum ſcopum attingendum, id eſt, ad morbi reditum impediendum, aegra quaecunque morbum hunc producunt evitare debet; ſi itaque in humido quovis aut paludoſo loco vivat, in aridam ac ſiccam regionem ſeſe conferre, neque unquam in nebuloſa ac pluvioſa tempeſtate ire foras debet: nec otio nimis indulgendum, nec nimium

mium laborandum ; exercitium autem viribus ejus accommodari debet. Ab omnibus cibis qui haud facile digeruntur, ut et ab omnibus calidis et aquoſis liquoribus, quales ſunt *Thea*, &c. abſtinere oportet ; e contra, cibis illis quibus multum nutrimenti ineſt, quique facile digeruntur, uti debet ; et cyathum fortis cujuſdam vini, qualia ſunt, ea quae ex Canaria, Malaga et Madeira importantur, interdum ſumere; ut et vinum cum aqua mixtum, aut cereviſiam fortem bene lupulatam pro potu ordinario ; quo regimine tempore etiam curationis utendum. Plerumque neceſſe eſt, etiam poſtquam chloroſis curari videtur, aegra in uſu quorundam amarorum et corroborantium, qualia ſunt ſupra memorata, perſeveret. Potatio aquarum mineralium chalybe impregnatarum aliquando, et ad impediendum hujus morbi reditum, et ad eam curandum multum prodeſt.

Hoffmannus * ait, urinam vaccinam recentem aeſtivo tempore potatam, tum in hoc, tum in aliis morbis quibus mulieres obnoxiae

* Cap. 13. obſ. 8. vol. 2.

obnoxiae ſunt, multum valere, ut conſtat ex multis exemplis, quae dicit ſibi prolata fuiſſe; ſe autem nunquam potuiſſe adducere aegras ſuae curae commiſſas eam ſumere, ob foetidum ejus odorem. Hoc remedium praecipue operatur per alvum et urinam; quod ille quidem putat attribuendum eſſe ſali eſſentiali herbarum, quibus hac anni tempeſtate animalia illa veſcuntur. Denique celebris ille praxeos medicae in hac academia Profeſſor ſupra merito laudatus, hoc optimum remedium eſſe, ſeque bonos ejus effectus inter ruſticas, quae eo ſaepiſſime in hoc morbo utuntur, vidiſſe affirmat; idque non ſolum per alvum et urinam, ſed etiam, ut emeticum, operari dicit.

F I N I S.